R. R. P.P. Eremitarum Camaldulen. Montis Regii prope Varsaviam

SECUNDA SECUNDÆ PARTIS
THEOLOGIÆ
SPIRITUALIS,
SEU
SCIENTIÆ SALUTIS,
Benè Beatequè vivendi
IN
Tempore, ac Æternitate.
DE
CAUSA OBJECTIVA;
SEU
MATERIALI, FORMALI,
ET
EXEMPLARI
Actuum Vitæ Christianæ,
sive Spiritualis.

AUTHORE R. P. FELICE SIMPLICI ŁACKI,
S. Theol. Profess. & Priore Monast. B. MARIAE V. *de Oliva, S. O. Cisterc.*

Typis MONASTERII OLIVENSIS Sacri Ordinis Cisterciensis,
Imprimebat JOANNES JACOBUS TEXTOR, *Anno* M. DC. LXXXVII.

SECUNDA SECUNDÆ PARTIS THEOLOGIÆ SPIRITUALIS, DE CAUSA OBJECTIVA, SEU MATERIALI, FORMALI, ET EXEMPLARI ACTUUM VITÆ CHRISTIANÆ, SEU SPIRITUALIS.

PRimò. *Causa Materialis* actuum Vitæ Spiritualis, est Objectum Materiale, circa quod versantur iidem actus, quosue idem obiectum terminat. Est autem obiectum materiale virtutis duplex; Remotum, & Proximum. *Remotum*, quales sunt v. g. in justitia Res, uti pecunia, fama &c. *Proximum*, quales sunt v. g. in justitia Operationes capaces justitialis rectitudinis, vel irrectitudinis. Quid verò causet hoc objectum materiale, & qualem causalitatem exerceat, videbimus infra.

2dò. *Causa Formalis* actuum vitæ spiritualis quà morales seu boni formaliter sunt, *est obiectum formale eorundem actuum motivum*; quale motivum virtutum Theologicarum est aliqua perfectio Divina v. g. respectu Chritatis summa Bonitas DEI in se spectata. *Obiectum* autem *formale motivum* actuum vitæ spiritualis, quà moraliter bonorum in Esse formali, *est ipsa Honestas obiectiva virtutum per rationem intenta.* Quia ut Arist. ait: *Ad operandum studiosè, non satis est facere, quod honestum est, sed oportet operari, quia honestum est.* Hæc autem honestas obiectiva dupliciter derivatur in actum moralem: 1*mo*; à fine intrinseco sed intento, qui est honestum bonum intrinsecè immanens actui obiectivo honesto v. g. Actui Eleemosynæ. 2*do*; à fine extrinseco intento: Sicut v. g. actus indifferentes comedendi & dormiendi cohonestantur à Gloria DEI intenta per tales actus. Finis namque

Arist. 2. Ethic. c. 4.

que hic uterque accipit rationem obiecti formalis motivi per ordinem ad actus. Imo & aliæ circumstantiæ derivant rationem formæ seu honestatis vel inhonestatis in actum, ut Theologis placet. Porrò *honestas objecti materialis virtutum, est consonantia seu conformitas objecti seu actus objectivè concepti cum natura rationali, quà tali.* Ratio est; quia etiam hæc consonantia cum natura rationali ut tali reperitur in actibus Divinis. Etenim si quæratur, cur DEUS amet, præcipiatquè veritatem? *Respondebitur* ultimò resolutoriè; quia veritatem dicere est conforme naturæ rationali; ita ut ejus oppositum nempe mendacium sit eidem naturæ difforme, eamquè dedeceat. Si verò quæratur ulterius: quare veritas est conformis naturæ rationali quà tali? non debet dari ulterior responsio, cùm jam sit perventum ad universalissimam Regulam, quæ etiam (humano modo concipiendi) est respectu actuum Divinorum: sed debet declarari veritas esse conformis naturæ rationali per quosdam suos effectus v. g. quòd hæc conservet mutuam societatem, & amabilem convictum inter homines, &c. Planè sicut dum quæritur: quid est homo? & Respondetur esse animal rationale. Ad ulteriorem quæstionem, quid sit animal rationale? Respondendum est per effectus rationalitatis & animalitatis, quæ sunt sensatio, discursus, &c. Datur autem conformitas hæc ad naturam rationalem quà talem. Quia sicut cuilibet naturæ proprium est operari conformiter ad seipsam, v. g. Naturæ aquæ quà tali est proprium frigescere & frigefacere: Naturæ ignis quà tali proprium est esse calidum & calefacere &c. Ita & naturæ rationali qua tali proprium est conformiter operari ad seipsam, seu secundùm dictamen rationis, per quod principalissimè differt ab omni alia natura irrationali.

Hinc *infertur* honestatem formalem tria importare. 1*mo*, actum Virtutis obiectivè conceptum. 2*do*, conformitatem eiusdem actus, nempe cum natura rationali, quod est quid *tertium*. Planè sicut relatio sive sit hæc quid rationis, sive quid reale, sive distinguatur à fundamento, sive non, importat tria, sine quibus concipi nequit Relatio, nempè fundamentum, ipsam relationem, & terminum, ad quem refertur fundamentum.

Cæterùm, quia hæc natura rationalis, ad quam dicit confor-

conformitatem actus moraliter bonus objectivè conceptus, sumitur pro Regula proxima morum, seu lumine aut dictamine naturalis rationis ipsius, sive præcisè in se spectato, sive insuper hoc dictamen proponat (ut incipiamus à notiori hominis operantis) aliam naturam rationalem à se numero distinctam, nempè aut Regulam primam morum, aut Legem humanam, aut Voluntatem Divinam humanamvè, aut Causam exemplarem, seu exemplar vitæ DEI, Christi, DEiparæ, Sanctorum: *Exemplar namque est forma, quam effectus imitatur, ex intentione agentis, qui determinat sibi finem*: Ideo actus objectivus conformis ad dictam Regulam proximam morum præcisè, sive insuper ad supra specificatorum unum vel plura per rationem proposita, erit talis actus honestus seu moraliter bonus, ut ex suprà dictis patet. *Ita suarez cum aliis Metaph. disp. 25. sect. 1. n. 3.*

3tiò. Causa formalis actuum vitæ spiritualis, quà supernaturales & meritorii sunt, est *Obiectum motivum eorundem actuum ut bonorum moraliter, quatenus Revelatum & Creditum*: Quoad supernaturalitatem *Ratio est*; quia sicut ille actus moraliter bonus est naturalis, qui specificatur ab obiecto moraliter bono per solas vires luminis naturalis proposito, ut patet in infideli, qui elicit actum fidei naturalis in aliqua materia bonum propter veracitatem DEI, & propter honestatem hujus actus naturæ viribus cognitam; vel amat DEUM propter suam bonitatem, & honestatem hujus actus naturaliter perspectam: Ita ille actus moraliter bonus erit supernaturalis, qui speciem suam accipit ab obiecto supernaturali, Divina revelatione affecto, & per lumen supernaturale fidei proposito: quandoquidem talis nititur & motivo directo supernaturalis Revelationis, & motivo indirecto Apprehensionis, judicii per fidem supernaturalem: v. g. Actus, quo diligo temperantiam, ideo quia DEUS revelavit eam esse honestam, eamquè ut talem credo & diligo, erit actus supernaturalis temperantiæ: quia motivum obiectum est supernaturale; iam verò à qualitate motivi qualificatur in sua specie actus, ut mox videbimus. Hinc scriptura dicit, quòd Justi *per fidem devicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*: Ubi dum loquitur de operibus justitiæ supernaturalibus, eorum causam formalem in ratione objecti motivi assignat fidem supernaturalem hac particula Ly *Per*. *Vide Card Lugo de fide disp. 9. s. 1. n. 18. & seq.* *Hebr. 11.*

Vide Card. Lugo de fide disp: 12. sect. 3. n. 45.

Deinde quod concernit meritorios actus, *Ratio est*: Quia multi asserunt opera ut sint meritoria debere referri in DEUM, & fieri propter DEUM. Illi ergo actus quales sunt moralium virtutum, qui non habent pro motivo DEUM, quomodo fient propter DEUM? *Respondetur*: Nimirum etsi per imperium charitatis non referantur in DEUM, requiritur tamen aliqua eorum ordinatio in DEUM, seu ut habeant aliquo modo DEUM ex parte motivi objecti. Hoc enim ad minus videntur exigere ad rationem meriti Patres, dum exigunt ad meritum, quòd opera fiant propter DEUM; id est in nomine seu cum memoria DEI &c. Jam verò DEUS aliquo modo habetur ex parte motivi objecti, in Deumquè refertur opus, quando homo ex fide movetur ad illud opus faciendum, jam enim amplectitur illud objectum, quia DEUS revelat esse amplectendum, atque adeò in actu exercito videtur obedire regulæ seu consilio DEI. Sicut eligens viam ex consilio amici, videtur referre illud opus ad amicum eiquè obedire, ac in nomine ejus facere, etsi id non faciat propter bonum amici, sed propter utilitatem ipsius operis, quam amicus approbat. Sic dans calicem aquæ frigidæ propter dictum Christi, dat illum in nomine seu in verbo Christi; id est præstando fidem verbo Christi illud consulentis & præcipientis: quare in actu exercito honorat DEUM, approbando re ipsa, & sequendo ejus consilia propter ipsius authoritatem, quam ut vidimus aliquo modo habet ex parte motivi.

Hæc autem Relatio in DEUM requiritur ad omne meritum tam congruum, quàm condignum in ordine ad vitam æternam. Quia omnia merita opus est ut proveniant *ex fide*, prout fatentur Sancti Patres, & modus loquendi sacræ Scripturæ: In quo sensu Paulus sæpè insinuat hominem non justificari ex operibus, sed ex fide, ubi non solùm loquitur de prima justificatione, sed & de secunda.

Ita Card. Lugo de fide disp. 9. sect. 1. n. 20.

Et quanquam objectum motivum fidei possit terminare actum naturalem, defacto tamen intellectus non elicit regulariter nisi assensum supernaturalem. Quia cùm DEUS defacto voluerit fidem esse principium meriti supernaturalis tum de congruo, tum de condigno: Justus enim ex fide vivit: Hinc propo-

proposito sufficienter motivo fidei, DEUS non concurrit ad actum naturalem sed supernaturalem meritorium vitæ æternæ.

Deinde etsi homo Christianus quandoque possit non operari ex motivo fidei, id tamen defacto vix aut nunquam contingere. Ratio hujus est, quia ea est intellectûs natura, ut ob vitandum periculum falsitatis suos actus mensuret ad certiores regulas, quas & voluntas consulit præ minus certis, dum inclinatur ad aliquam bonitatem. Jam verò hæc regula potissima & certissima est fides Christiana. Ergo secundùm eandem ferè semper operantur fideles, quin etiam peccatores, dum honestè operantur circa materias omnium virtutum. Adeoquè ferè semper operantur supernaturaliter etiam peccatores, fideles tamen. Quodsi contingat operari honestè non ex motivo supernaturali, erit opus meritorium naturale præmii naturalis. *Ita Card. Lugo disp. 12. sect. 3. n. 47. de fide.*

4*tò*. Quæritur universaliter: An omne objectum materiale & formale motivum actuum vitæ spiritualis, eosdem causent in ratione actuum moraliter bonorum, supernaturalium, meritoriorum? Ad quod *Respondetur affirmative.* Ratio hujus est, quia certa proportione spectata, sicut se habet materia & forma physica ad compositum physicum, ita se habet objectum materiale & formale ad actum. Atqui materia composito dat esse materiale, forma dat esse formale. Ergo & objectum materiale actui dabit esse materiale, obiectum formale dabit esse formale: cum hac tamen differentia, quòd materia & forma physica sint causæ compositi intrinsecæ; objectum verò materiale & formale actus sunt causæ extrinsecæ.

Deinde motus speciem sumit à termino. Atqui actus est motus, objectum est ejus terminus. Ergo actus speciem sumit ab objecto. Infero; Ergo quale erit objectum, talis erit & actus. Subsumo; sed objectum vitæ spiritualis motivum, ut supra vidimus, est moraliter bonum, supernaturale, effectivum meriti de condigno, vel de congruo. Ergo & actus vitæ spiritualis erunt moraliter boni, supernaturales, meritorii.

5*tò*. Qualem universaliter Objectum materiale & formale causalitatem exerceat in actum? *Respondetur*: Objectum materiale non potest exercere aliam causalitatem, quam sibi propriam

propriam, nempe producendo intentionaliter *esse* materiale actûs, nè plùs videatur dare, quàm quod habet. Porrò objecti formalis motivi respectu potentiæ cognoscitivæ est causalitas efficiens. Tum prout objectum movet imprimendo speciem, tum prout per speciem concurrit ad actum. Respectu verò potentiæ appetitivæ est causalitas finalis. Unde aliqui reducunt Objectum ad causam finalem; alii ad causam formalem extrinsecam: quia quidquid dat speciem, habet rationem formæ: sed
Arist. 2. Physic. cap. 7 benè Aristoteles hæc componit dum dicit; *Finis & forma coincidunt in idem numero.*

6to. Ex dictis infertur nos hic Causam formalem, seu objectum formale motivum Actuum vitæ spiritualis sumere latiùs pro omni causa, quæ dat Esse formale dictis actibus, sive sit Causa efficiens, propriè formalis, sive finalis: etsi de causa efficienti & finali sub alia ratione & respectu alibi tractemus.

7timò. Objectum Actuum vitæ spiritualis hìc maximè sumimus pro actu virtutis objectivè concepto: qui actus sive sit Fugæ, sive Prosecutionis, est utiquè conformis rationi naturali, tum Divinæ, ejusquè voluntati &c.

8tavo. Objectum quandoquè sub una, quandoque sub pluribus rationibus motivi repræsentatur & concurrit ad actum salutarem: ut v. g. actus humilitatis exercendos movet Divina voluntas, movet Christi, Deiparæ humilitas, movet exaltatio in futura gloria &c. Deinde unum motivum subinde separatum ab altero, subinde conjunctum cum altero excitat; ut v. g. humiliari hominem & voluntati DEI placet, & eadem voluntas intendit in humilitate imirari Christum, Deiparam &c.

In hac parte secunda secundæ Theologiæ etsi Praxibus locus non esse accommodus videatur prout in prima secundæ, tamen quæ servire possunt ad praxim actuum salutarium in ratione eorum objecti hìc breviter advertimus. Itaquè triplex ratio bonitatis revelata & credita ponitur, propter quarum aliquam objectum seu actus virtutis objectivè conceptus in Praxi potest intendi, & ita supernaturalizari actus formalis.

Prima Ratio est Generica; dum scilicet fit fuga vel prosecutio alicujus actus, quem hìc & nunc specie aliqua vitii vel virtutis titulare non potes, nisi prudenter videtur tibi quòd ille actus

actus si non in specie saltèm in genere sit revelatus, ut malus vel bonus seu difformis vel conformis rationi naturali, aut Divinæ, ejusquè voluntati, sive exemplari DEI, Christi, Deiparæ, &c. Vel, si non videtur tibi esse revelatus, sed tantùm præcisè apparet esse conformis aut difformis rationi naturali, Divinæ, vel ejus voluntati, &c. Adeoquè ut talis dicatur esse fugiendus, vel faciendus ex revelatione universalis principii apud Psalmistam: *Declina à malo, & fac bonum*; Talis inquam actus erit supernaturalis, & bonus, & meritorius, ut ex suprà dictis patet.

Secunda Ratio bonitatis revelatæ, est specifica: dum v. g. fugis actum homicidii sub ratione specifica injustitiæ, & odii: aut ponis animam tuam pro fratribus tuis sub ratione specifica fraternæ dilectionis: quia scilicet DEUS revelavit omnem injustitiam, & odium esse difforme, & charitatem fraternam esse conformem rationi naturali, vel Divinæ, ejusquè voluntati &c. Talis actus erit verè spiritualis.

Tertia Ratio bonitatis revelatæ, est atomæ seu ultimæ speciei: dum v. g. fugis homicidium, quia DEUS revelavit homicidium esse difforme rationi naturali &c. voluntati suæ, quâ prohibet: *Non occides.* Vel dum moreris pro fratribus, quia DEUS revelavit esse conforme rationi &c. Exemplari Christo v. g. juxta quod Joannes dicit: *Quoniam ille* (Christus) *animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ejusmodi actus erit supernaturalis. Et hæc sequenti Tractatu sub singulis §§. ad Praxes specificas accommoda, dum placet: simul etiam vide alia requisita ad actum salutarem, de quibus suprà in prima secundæ sufficienter egimus maximè Tract. I.

Exod. 20.

Joan. 3.

TRACTATUS.

De Causa Formali, & Exemplari actuum vitæ Christianæ seu Spiritualis in specie.

Hæc Causa Formalis cùm sit multiplex, distinctis §§. de ea agendum.

§. Imus.

Dico. Gratia actualis, & habitualis, habitus infusi virtutum, Dona Spiritûs Sancti cum potentiis naturalibus sunt

causæ formales actuum vitæ spiritualis. *Ratio est*, quod dicta iisdem actibus dant Esse formale moralis bonitatis, super-
1. 2. q. 54. a. 2. naturalitatis, meriti; *Omne enim agens* ut D. Thomas loquitur *facit simile secundùm speciem: hinc formæ adinvicem distingvuntur secundùm diversa principia activa.*

§ 2dus.

Quoniam Regula intrinseca & proxima morum (quæ est Ratio propria operantis) est notior, illaquè proponit alias Regulas extrinsecas & remotas morum, ideoquè de ea hîc primò agendum. *Ratio* itaque operantis dicitur *Regula morum proxima*, quatenus se conformans Primæ Regulæ morum sive habitualiter sive actualiter, mensurat rectitudinem, seu convenientiam actionum ad finem naturæ rationali convenientem.

Item dicitur *Lumen naturæ, seu naturalis rationis*, ita dictum; quòd sicut lumen oculorum est corpori ad ipsius bonum, ita lumen rationis est animi ad ipsius commodum & emolumentum.
Psalm. 4. Unde Psalm: dicitur, *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* nempe bona convenientia naturæ rationali, qualia sunt Finis ultimus & media ad ipsum. Respondet Psaltes: *Signatum est super nos Lumen vultus tui Domine*; insinuans hoc lumen esse, quod ostendat nobis prædicta bona. Sicut de facto hoc solo lumine fulti devenerunt in notitiam summi Boni, & virtutum, illi antiqui
Rom. 1. Philosophi, de quibus Apostolus. Quanquam ad perfectiorem notitiam ejusdem summi Boni debet juvari supernaturali Lumine Fidei & gratiæ lumen naturale. Item dicitur *Lex* pro-
Rom. 2. ut Apost. ad Rom. ait: *Gentes, quæ legem* (scriptam) *non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt. Ejusmodi enim legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Item dicitur: *Impressio & participatio legis æternæ* quatenus DEUS ad similitudinem suæ legis æternæ talem indidit & inseruit vim & inclinationem naturæ nostræ, ex qua judicium simile Divino prodiret v. g. non esse mentiendum, veritas semper dicenda.

Item dicitur *Dictamen practicum rationis*, quatenus eadem lex naturæ rationali insita, ad ejus bonum & commodum aliquod dictat seu præscribit esse faciendum, aut omittendum.

Hinc

Hinc colligitur præfatum Lumen aut Legem naturæ consistere 1*mò* in potentia intellectûs, & in synderesi (ita ex græco dicta ab attentione & conservatione) seu virtute intellectûs practici una ex intellectualibus, quæ est habitus primorum principiorum practicus. Permanentiam enim significant ly *Signatum Lumen*, *Lex scripta in cordibus* &c. 2*dò* consistit in actu: cùm judicium seu dictamen rationis sit actus. Et ita definitur *Lex naturalis esse naturale rationis nostræ judicium seu dictamen, quo per lumen nobis ab æterna lege impressum & inditum evidenter cognoscimus ea esse facienda, quæ ita sunt recta & naturæ nostræ consentanea, ut ea negligere sit deforme & naturæ repugnans; & contra, ea esse vitanda, quæ facere turpe sit, & naturæ rationali minimè congruum.*

Ita Valentia cum aliis disp. 7. de Legibus quæst. 4. p. 1.

Porrò Actus legis naturæ aliquando versatur circa universalissimas propositiones, & principia inde monstrabilia seu per se nota: ut *Bonum est faciendum; Malum omittendum.* Aliquando versatur circa minus universales: ut *Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris*) ex universalissimis deductas per medium: Quia hoc est bonum; vel quia contrarium huic est malum. Aliquando adhuc circa minus universales ex universalissimis vel minus universalibus conclusas v. g. *Non rapere aliena; quia id tibi nolles fieri.* Jam verò quando circa particularem propositionem ex universalissimis vel minus universalibus deductam versatur præfatus Actus v. g. *Bonum est dare Eleemosynam: Quia velles tibi dari eleemosynam, si esses in tali statu hujus pauperis: Ergo des eleemosynam huic pauperi.* Talis actus vocatur *Conscientia*; etsi hæc latiùs quandoque pateat, diciturquè cordis scientia quà judicatur aliquid hìc & nunc agendum vel omittendum esse, aut fuisse, illudquè dignum laude vel vituperio. Hinc ad Rom. dicitur; *Gentes &c. ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium.* Est autem Conscientia alia *Recta vel certa*, quâ judicatur prudenter alquid agendum, vel omittendum, juxta manifestam legem naturæ, aut DEI, aut Ecclesiæ. Alia *Probabilis*, dum circa actum innititur non levi, sed solidæ rationi, seu authoritati aut opinioni Patrum & Doctorum: etsi pro parte contraria etiam habeantur aliorum authoritates & rationes. Alia

Erronea, quæ imprudenter judicat & determinat aliquid esse quam sit in re v. g. esse peccatum mortale, cùm sit veniale, vel nullum; atque operans contra hanc conscientiam peccat tali peccato, quale judicavit, etiam mortali, quamvis nullum sit; quia expressè agit contra dictamen rationis in re gravi. *Dubia* est, quæ media & anceps hæret inter utramque partem, an sit licitum, vel illicitum, nesciens modum & rationem prudenter se resolvendi ad praxim: Unde tali conscientia operans in materia gravi, peccat mortaliter; quia se exponit proximo periculo peccandi graviter. Secus est, si dubium prudenter deponat, & operetur. Alia *Conscientia Perplexa est*, quæ utramque contradictionis partem judicat esse peccatum. Unde in tali Conscientia ex duobus malis minus eligendum, vel si æquè malum esse videtur, quod vult faciat, deposito affectu ad malum. Quia in tali casu deest libertas, necessaria ad rationem peccati. Et S. August. illa, ait, desinunt esse peccata, quæ propter graviora vitanda suscipiuntur. Alia *Scrupulosa est*, quæ ex levi ratione & indiciis judicat esse peccatum, ubi non est. Alia *Laxa*, quæ innixa levi fundamento, vel ex culpabili ignorantia non judicat esse peccatum, ubi verè est. Alia est *Mala*, in qua vivit peccatum pœnitentiâ non deletum, illam rodens, unde convellatur. Vermis eorum non morietur in hac vita, sed maximè in pœnæ æternitate assiduis objurgationibus, expostulationibusquè erit animum crucians. *Pejor Conscientia est*, in qua dormitat peccatum, dum scilicet peccata vera pro scrupulis judicantur ex pravitate affectus, dumquè remorsus peccati quasi non sentitur: talisquè Conscientia dicitur *Cauteriata*. *Pessima Conscientia*, in qua regnat peccatum, dum nempe peccator, cùm in profundum venerit, contemnit: & lætatur cùm malè fecerit, & exultat in rebus pessimis. *Bona Conscientia est*, quæ firmum ac perenne propositum multis tentationibus probatum habet nunquam mortaliter peccandi: dicitur eadem *pura*, *casta*, *munda*, *timorata*, quia ex timore DEI cavet sordes peccati lethalis cum immundo spiritu, sed fidelis manet Sponso suo Christo. *Conscientia melior*, quæ simile propositum habet non peccandi venialiter. *Optima*, dum non ex errore, aut pusillanimitate, sed humilitate ac cordis puritate agnoscit culpam ubi non est, ad ferendam

rendam scilicet pœnam, & sustinendam confusionem ad Christi imitationem. Aliquando dicitur *Tenera, delicata*, dum minimo peccato aut imperfectione facilè sentit se læsam, & fert non mediocriter, citiusquè se per tunsionem pectoris, aspirationem doloriferam, humilem precem expedit ab illa læsura. *Obdurata* verò nec terroribus pœnarum inferni concutitur, nec blanditiis cælestium promissionum emollitur, sed omnia vel cum indignatione, vel cum cachinno respuit. Aliquando dicitur *Clara*, dum minimas maculas & imperfectiones in se intuetur. *Obscura* verò quæ pravis cupiditatibus cæca, rectum judicium ferre non novit de gerendis ad suam salutem. Aliquando *Quieta* seu *pacata*, quæ non turbatur peccatis, vel scrupulis, & perplexitatibus, sicut è contra *Anxia* inquietatur. Aliquando *Perversa Conscientia* dicitur, cujus indicium est, ex malitia perversè judicare bonum malum, & malum bonum. Item *Desperata*, quæ involuta sceleribus de misericordia DEI & sua salute æterna finaliter omnem spem deponit.

Hoc autem *Dictamen legis naturalis* est per se evidens: quando nititur principiis per se notis. Dixi per se *evidens*, nam per accidens potest fieri inevidens, vel propter aliquam malam dispositionem intellectûs in applicatione ad aliquod particulare operabile per errorem, pertinaciam, &c: Vel ob pravum affectum, consvetudinem voluntatis. Tales fuerunt illi, quos juxta Apostolum, *Tradidit DEUS in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ fornicatione, avaritiâ &c. Quia cùm justitiam DEI cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.* Quæ crimina ab eisdem reprobis non reputabantur pro peccatis, ut D. Thomas ex hoc loco insinuat. Imò quod magis stupendum est, publica legum authoritate probabantur. Ita ut Theodoretus asserit lib. 9. de curandis affectionibus Græcorum, legibus Lycurgi permittebatur *pueros adamare, itemquè viros ex alienis uxoribus, foeminas autem ex alienis maritis sibi filios comparare*: Et per leges Persarum, *Matrum, sororum, filiarumquè connubiis susque deque commisceri*: Et per leges Tybarenorum, *Seniores ab altissimis rupibus præcipites dari*: Et per leges Platonis, *Communes habere uxores & filios, ita ut neque pater sciat, quem ex se filium progenuerit, neque item filius ex quo natus sit patre.* Et alia ejusmodi infanda scelera. His suppositis.

Rom. 1.

D. Thomas lib. 2. quæst. 94. art. 6.

Dico. *Obiectum actuum supernaturalium revelatum & creditum, quòd sit conforme dictamini practico luminis naturalis; atque ut tale intentum & volitum, est causa formalis actuum bonorum moraliter, supernaturalium, & meritoriorum vitæ æternæ.* Probatur *Assertio*: Quia objectum remotum, vel proximum (qui est actus objectivè conceptus) quatenus est conforme dictamini luminis naturalis, cùm tale obiectum sit honestum seu moraliter bonum, ut suprà vidimus: sequitur quòd ejusmodi obiectum sit causa formalis actus moraliter boni. Siquidem universaliter obiectum in Esse specifico constituit actum, ut suprà vidimus: ubi suppone hæc intelligi non modò si illud obiectum ponatur cum adiectis hisce formalibus terminis, quia *conforme rationi, vel honestum*, verùm etiam si adiiciantur æquivalentes termini, uti illud: *sic enim decet nos implere omnem iustitiam*: ubi ly *decet* idem sonat quod *conveniens est, honestum est.* Vel si eadem convenientia rationi aut honestas aliunde per bonam consequentiam concludatur, ut si v. g. alicui obiecto annexæ sunt minæ, ideo ut fugiatur, uti: *Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum DEI possibebunt.* Aut adjunctæ sunt promissiones, ut illa virtus custodiatur: v. g. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quippe conueniens est rationi illud cavere, quod ipsi noxium est, & sequi, quod proficuum: adeoque operans ex hoc motivo, honestè operatur. Si enim apud Philosophos ideo honestum est cavere mendacium, quia in ipso societatis humanæ bonum pessundatur, multorumquè malorum est origo, quantò magis erit ideo honestum fugere mendacium apud Theologos Spirituales; quia *os, quod mentitur occidit animam.* Et sic de cæteris. Deniquè ratio honestatis reperitur in illo opere quod fit ex his motivis; quia scilicet illud opus v. g. justitiæ est *conforme legi DEI, & præcepto, voluntati DEI, vel legi & præcepto Ecclesiastico, aut Civili, vel exemplari vitæ DEI, aut Christi, aut DEIparæ, aut Sanctorum: vel quia illud opus est effectivum Gloriæ DEI, Cælitum, & tuæ &c.* ut infra singulis paragraphis videbimus probando bonitatem moralem inesse ejusmodi motivis. Quòd verò ejusmodi objectum *ut revelatum & creditum sit* causa quoq; formalis actuum

Matth. c. 3.

1. Cor. cap. 6.

Matth. c. 5.

Sap. 1.

quatenus

quatenus supernaturalium & meritoriorum, suprà etiam visum in genere.

Dicimus insuper, quòd præfatum objectum debeat esse *intentum & volitum.* Tum ideo, ut non in sola speculatione hic sistatur, sed reducatur ad praxim id quod insinuatur. Tum quia actus non erunt moraliter boni & meritorii, nisi adfuerit exercitium voluntatis, cujus actus eliciti sunt, intentio & volitio. Dicitur autem in assertione; *ut tale intentum & volitum:* id est intentum & volitum dictum objectum, ideo, quia est revelatum & creditum esse conforme dictamini luminis naturalis.

In Praxim hoc objectum actuum salutarium per conformitatem ad lumen rationis, uti & aliarum Regularum sequentium, accommodatur secundùm suprà dicta in genere n. 8. & sequen: tum in formula intentionis data 1. 2. c. 1. sect 4. subsect. 1. §. 9. sub Circumstantia *Cur*: tum ibidem subsect. 2. tum hìc sub praxi §. 7.

§. 3tius.

Dico. *Objectum actuum vitæ supernaturalis revelatum & creditum, quòd sit conforme Legi æternæ seu primæ Regulæ morum, atq; ut tale intentum & volitum, esse causam formalem actuum moralium, supernaturalium, & meritoriorum.* Ubi *primò* suppone nomine Legis æternæ qualicunque dictamen Divini intellectus & Sapientiæ de quocunque opere bono. Suppone *secundò* Legem DEI quamvis sit occulta innotescere tamen nobis tum per dictamen rationis nostræ, quod est impressio quædam legis æternæ; tum per revelationem Divinam quoad præcepta & consilia supernaturalia. *Probatur Assertio quoad moralem bonitatem,* quia si objectum seu actus objectivè conceptus sortitur bonitatem moralem per conformitatem ad dictamen Legis naturæ, multò magis eandem bonitatem sortietur per conformitatem ad dictamen Legis æternæ: quia in omni genere plus dependet effectus à Causa prima, quàm à causa secunda; siquidem virtus causæ secundæ derivatur à prima: in genere autem causæ exemplaris Lex æterna est causa prima, Lex naturæ est causa secunda: quia eatenus est bona, quatenus congruit cum Lege æterna. Quod attinet supernaturalitatem, & alias particulas assertionis, visum est suprà in genere, tum §. 2do.

Vid. D. Thom. 1. 2. quæst. 19. art. 4.

Quoad

Quoad *Praxim* eadem vide notata, quæ ſub Praxi præcedentis §. & §. 7. & hic proportionata methodo applica.

§. 4tus.

Dico 1mò. *Objectum actuum vitæ Chriſtianæ revelatum & creditum, quòd ſit conforme Voluntati Divinæ, atq; ut tale intentum & volitum, eſt cauſa formalis actuum moraliter bonorum, ſupernaturalium, & meritoriorum.* Ratio de bonitate morali eſt: quia objectum ut eſt conforme voluntati Divinæ, ideo eſt bonum & rectum: quia attingit primam & propriam menſuram rectitudinis, nempe voluntatem DEI, ei ſe conformando. Unumquodquè enim rectum & bonum eſt, inquantum attingit ad propriam menſuram. Quòd verò voluntas DEI ſit propria menſura objecti, ſeu actus humani objectivè concepti inde eſt, quia cum bonitas voluntatis ejusq; actuum dependeat ex intentione finis ultimi, ſeu ſummi Boni, quod eſt DEUS, ſummum autem Bonum primò & per ſe comparatur ad voluntatem Divinam, ut ejus proprium objectum: illud verò quod eſt primum in quolibet genere, eſt menſura & ratio omnium, quæ ſunt illius generis: Sequitur voluntatem ſeu actum humanum tendentem in ſummum Bonum, debere menſurari voluntate Divina, cùm ipſa ſit prima in ratione menſuræ. Adeoquè ad menſuram voluntatis Divinæ voluntas noſtra in operando, & ipſa voluntas erit recta & bona, & ipſum opus rectum & bonum moraliter efficietur.

V. D. Thom. 1. 2. quæſt. 19. art. 9.

Particulæ reliquæ Aſſerti jam probatæ ſuprà in genere & §. 2.

Quoniam verò voluntas DEI tale eſt objectum, ad quod & ſecundùm quod omnis actio & paſſio vitæ Chriſtianæ debet ordinari, omnisquè finis ſupernaturalis intendi, ideo paulo fuſiùs hoc in puncto agendum. Igitur:

Dico 2dò. *Voluntas DEI etſi una ſit eſſentialiter in ſe indiviſa, per reſpectum tamen ad modum noſtrum concipiendi & operandi, juxta Spirituales Theologos triplex eſt dicente Apoſtolo: Ut probetis quæ ſit voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta.* Supra quæ verba commentator Lyranus ait: Voluntas DEI (*eſt bona*) quoad incipientes;

Rom. 12.

Lyranus in 12. Rom.

pientes; (*beneplacens*) quoad proficientes (*perfecta*) quoad perfectos. Cui divisioni innixus quidam pius Author edidit præclarum libellum titulatum: *Regula perfectionis, compendiosè redacta ad unicum punctum voluntatis Divinæ, & in tres partes distincta.* Itaquè secundùm hunc Authorem Voluntas DEI bona appellatur Exterior, beneplacens Interior, perfecta Essentialis sive Supereminens; de quibus in sequentibus. *Benedictus de Canfeld. Capucinus.*

Punctum I.

Voluntas DEI exterior, est Divinum beneplacitum, cognitum per legem, ac rationem; est norma omnium nostrarum cogitationum, verborum, & operum, in vita activa. Dico esse (*Divinum beneplacitum*) quia etiamsi DEO nullus sit bonorum nostrorum operum usus teste Psalmista: *Quoniam bonorum meorum non eges*: neque quidquam perdat, vel lucretur ratione benè seu malè à nobis gesto-rum; attamen ex immensa sua bonitate delectatur, eiquè placet, quotiescunque benè agimus, ipsiusquè præcepta observamus: ut ex adverso, ratione justitiæ suæ ægrè fert, eiquè displicet, si quando ea transgredimur. Addo (*cognitum*) eò quòd non solùm beneplacitum, ac voluntatem habeat, sed etiam eandem nobis reddat manifestam, in quonam ejusmodi ipsius voluntas beneplacitumquè consistat, patefaciens. Dico (*per legem*) ea est enim, quæ nobis eandem voluntatem demonstrat, ac (per legem quidem in genere) non illam quæ solius DEI est tantummodò: ut cujuscunque generis bonas leges includamus, nempe legem DEI, de qua scriptum reperimus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: ut & legem Ecclesiæ: *Nam qui non vult audire Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Pari modo legem, regulam, constitutiones, & statuta sui ordinis, si Religiosus sit, prout hortatur Psalmista: *Vovete, & reddite Domino DEO vestro.* Similiter legem, vel mandata pastorum, præsulumquè; cùm dictum sit: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* Insuper legem sive constitutiones principum: ait enim Salvator: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Nec minus legem, seu præcepta parentum: juxta istud: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.* Legem quoque magistratuum: Etenim: *Non est potestas nisi à DEO; & qui*

Benedictus Canfeld p. 1. c. 5.
Psalm. 75.
Matth. 19.
Matth. 15.
Psalm. 75.
Heb. 10.
Luc. 20.
Rom. 13. ibid.

qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Adhuc & legem & statuta patrum familias: de quibus scitum est illud: *Servi obedite Dominis vestris.* Denique legem, quæ statui, gradui, ac conditioni uniuscujusquè competit, congruitquè, sive is superior sit, sive subditus, dominus, seu servus, conjugatus, vel non conjugatus, Ecclesiasticus, Religiosus, sive Laicus. Dico ibidem (*per rationem*) quod non sine causa adjicitur, quoniam in multis hæc DEI voluntas per legem cognosci nequit, cùm sint complura legibus exempta, ad quæ inhibenda, vel imperanda illæ sese non extendant; qualia sunt v. g. Sacris ordinibus initiari, conjugio sese adstringere, sive cælibem vitam agere, iter arripere, aut domi moram facere, sedere, vel stare, loqui, sive tacere, & mille id genus alia indies obvia, è quibus utpote, nec indictis nec interdictis, verùm arbitrio cujusquè derelictis voluntas DEI haud facilè queat elici, quibus casibus ad rationem pro solutione refugium habendum est: quo (*rationis*) vocabulo, innuitur discretio, pietas, & consilium. Quo pacto autem solutio à ratione petenda sit in ejusmodi rebus ambiguis sequentibus mox ostendetur. Ulterius Dico juxta Doctores; *Voluntatem DEI Regulam esse nostrarum voluntatum, cogitationum, verborum, & operum.* Quemadmodum enim per normam materialem, sive amussim recta ducitur linea, perquè eandem cujuscunquè rei rectitudo vel curvitas examinatur; sic per hanc voluntatem DEI possumus totius vitæ nostræ cursum, necnon omnium intentionum, cogitationum, verborum, operumquè nostrorum filum in directum ducere, ejusdemquè ope addiscere, directanè sit intentio, an verò ratione deviæ alicujus intentionis deflectat. Deniquè Dico (*in activa vita*) quod non tantùm complectitur actionem exteriorem, sed etiam interiorem intentionem, nequè conversationem externam solummodo, sed & reformationem internam similiter.

Eph. 6.

Vide quoque supra 1. 2. tra. 2. sec. 5. c. 9. sub Discretione.

D. Thomas 1. par. q. 63. a. 1.

Quodsi quæratur, cur ei voluntatis exterioris nomen tribuam, cùm etiam partem interiorem attingat, reformetquè? Respondeo. Idcirco me facere, quòd illa lumen suum ac directionem petat ab exteriore, videliciet à lege: itaque circa exteriora maximè versetur, dum in admittendo quicquam seu refugien-

fugiendo eandem legem sequitur: ut etiam propterea, quod etsi hæc quæ intentioni limam, amussimquè adhibet, sit interior, non injuriâ tamen exterior nuncupari potest; collata cum duabus aliis voluntatibus, quæ omni ex parte prorsus sunt interiores. Hæc *Canfeldius.*

Verùm particulariùs opus est descendere ad notitiam ejusdem voluntatis DEI: Et quidem si id fuerimus assecuti, nihil nobis felicius in hac vita contingere potest, quàm certiores reddi de voluntate DEI nostri. Hac quippe cognitâ, eiquè se conformans plenè exsatiatur, & quietatur animus, cùm securus redditur se omnia agere & pati secundùm voluntatis DEI beneplacitum: cùm sic agere & pati, sicquè vivere & mori, est ineffabiles, eosquè infallibiles thesauros in æternitatem recondere, est gloriam Cælitum ipsiusque DEI indubitanter promovere, gratissimum placitum, gustum, gaudium DEO suo facere, quæ cura unica, summa amatorum DEI est, hocquè fine adepto istud exilium mutatum sibi in paradisum, & atrocibus licet pressuris exasperatam hanc vitam, refertam deliciis æstimant, & subinde sentiunt, amore complacentiæ de Gloria, placito, gustu, gaudio DEI sui amarissima quæquè dulcorante. Hinc de ejusmodi beatis inquisitoribus suæ voluntatis DEUS loquitur: *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt.* Et vir secundum cor DEI desiderio æstuans ingeminat orans; *Doce me facere voluntatem tuam.* Et ipse Christus hoc quoquè præcipuè nos orare præcepit: *Fiat voluntas tua sicut in Cælo & in terra.* Quare hìc in sequentibus ex citato *Benedicto Capucino* afferemus Modos & Regulas cognoscendi eandem voluntatem DEI, juxta datam supra triplicem ejus distinctionem. Quantùm quidem ad noscendam Exteriorem DEI voluntatem Regula est hujusmodi.

Isai. 58. *Psalm. 142.* *Matth. 6.* *Bened. Canfeld. 1 p. c. 7.*

Quæcunqve agenda, seu perferenda, admittenda, vel rejicienda occurrunt, seu corporalia illa sint, sive spiritualia, triplicis sunt generis: aut enim imperata sunt, aut prohibita, aut indifferentia; nec quidquam contingere potest, quod non uno ex his membris contineatur.

Regulæ cognoscendi voluntatem DEI.

Ad primum igitur quod attinet, si præcipitur id, de quo disce-

1. In rebus imperatis.

disceptatio est, clarissimè liquet voluntas DEI, nempe ut fiat; oportet ergo ut illud exequamur, idquè juxta præfatam Regulam generalem, videlicet quia ita vult DEUS, omni alio fine semoto.

2. In rebus prohibitis. Quod ad secundum; verò si res prohibeatur, voluntas DEI non minùs est manifesta, scilicet nè fiat, ideoquè omittendum, rejiciendumquè est, ob eandem voluntatis Divinæ intentionem; itidem aliis quibuscunque repulsis, & quoad fieri potest è memoria erasis.

3. In rebus indifferentibus. Quod autem ad tertium genus rerum indifferentium spectat; ea rursus in tres subdividuntur species, aliis enim natura vel sensus delectatur, ut curiositatis plenos discursus, resquè novas audire, decoras quorundam species, ædificiorum superbiam, idquè genus alia intueri: alias natura aversatur, veluti silentium sibi indicere, eleemosynas largiri, jejunia non imperata observare: alias eadem æquali loco habet: quales sunt, hanc, vel illam viam ingredi, sedere, vel deambulare: Ea demum omnia, ad quæ non magis quàm ad ipsorum opposita propendet.

Si igitur quod occurrit, ad primum genus rerum, quæ sensui vel affectui sunt gratæ spectet, voluntatem DEI peracturis reiiciendum erit: si ad secundum pertineat, sensuiquè adversetur, amplectendum; quas duas propositiones sacræ literæ confirmant, quæ singulis prope paginis nos ad veteris hominis mortificationem hortantur, ut: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Et: *si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Hæc tamen interponenda est cautela; ut an vera & non ficta discretio contrarium non requirat, observetur; ratione habita sanitatis, personæ, temporis, loci, similiumquè circumstantiarum. Quodsi ejusmodi sint circumstantiæ & rationes utrinque tam ambiguæ, ut revera utra partium eligenda sit ignoretur, agendumvè an omittendum, resistendumnè sit, an consentiendum; tum alterutram partem expeditè præstat assumere (comitante semper prædicta voluntatis DEI intentione) quàm non sinè multa distractione, cerebri perturbatione, ac temporis jactura longam deliberationem instituere, nisi for-

Col. 3. *Rom. 8.*

4. In rebus ambiguis quid agendum.

san

ſan (quod non frequenter evenit) tanti fuerit momenti res, ut id mereatur: quo caſu ad preces, & piorum hominum, ac doctrinâ, judicioquè pollentium conſilia recurrendum eſt. 5. *In rebus magni momenti.*

6. Sin autem tertii generis ſit res, videlicet indifferens, & neq; jucundum ſit neq; aſperum ſenſui, eam ſeu facere, ſeu relinquere, fas erit in quam libuerit partem ſe flectere, præſuppoſita ſemper hac voluntate DEI, hoc vel ſimili modo eum ex animo compellando: *Faciam vel acceptabo, omittam, vel recuſabo iſtud, quia tua eſt voluntas*; quo facto, quod alioquin indifferens erat, æquè erit voluntas DEI, quàm quæ imperata ſunt, vel inhibita, Cujus ratio eſt, quia intentionem ſequitur opus adeò, ut quæ ex ſe nec præcepta, nec interdicta ſunt: ea bonitatem vel perverſitatem ab intentionis qualitate recipiant.

Quod ut faciliùs intelligatur, animadvertendum eſt eodem modo, quo fructus alicujus arboris tam parvi, quam magni ad Dominum pertinent ſic: & fructus omnes operum, verborum, ac cogitationum ad Dominum DEUM ſpectare: Ideoquè nihil omnino à quoquam fieri debet, quantumvis exiguum, tam admittendo, quàm rejiciendo, conſentiendo, reſiſtendo, agendo, & patiendo, quod ad ipſum non dirigatur, & ad illius gloriam tendat hortante Apoſtolo: *Omne quodcunquè facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri JESU Chriſti facite.* Col. 3.

Deniquè eæ actiones ſunt voluntas DEI, in quibus intentio DEI cum ea, quæ hominis eſt, coincidit: atqui in rebus indifferentibus cum ſimili intentionis directione peractis, una eademquè eſt DEI, hominisquè intentio, ipſius videlicet gloria: ergo quotiescunque in his actionibus indifferentibus ita dirigitur intentio, ea ſunt voluntas DEI. *Hæc Canfeldius.*

Punctum II.

Voluntas DEI interior, eſt Divinum beneplacitum, per perfectam, manifeſtam, atquè experimentalem notitiam interiorem cognitum; animamquè in vita interiore, ſeu contemplativa illuſtrans: nimirum cùm illa in DEO intuetur & contemplatur, intimequè experitur, perſentiſcit, *Benedictus Canfeld. p. 2. cap. 1.*

 atque

atquè deguſtat Divinam voluntatem, quæ eſt voluptas illa, atque oble-ctatio, quam DEUS concipit è re tali vel tali exequenda.

Quæ voluntas, beneplacitum, atquè oblectatio Divina, tantas animæ, eam perfectè deguſtanti confert delicias; tantamquè jucunditatem, ut eam ita attrahat, illuminet, dilatet, extendat, elevet, rapiat, atquè inebriet; ut nullam poſt hac voluntatem, affectionem, aut inclinationem propriam perſentiſcat: verùm ſe ipſa penitus exuta, voluntate, jure, commodoquè proprio prorſus exſpoliata, in voluntatis hujus profundiſſimo oceano immergitur, atquè in abyſſali ejuſdem voluptate abſorbetur, & ita unus cum DEO ſpiritus efficitur.

In hoc autem voluntas interior ab exteriore disſidet, quòd hæc ab extrinſeco lumen ſuum hauriat, illa verò ab intrinſeco; id eſt, quòd exterior per ea, quæ externa ſunt, cognoſcatur, ut ſunt DEI, Eccleſiæ ac Prælatorum præcepta, conſuetudinesquè &c.

Interior contra, per internas nimirum inſpirationes, illuminationes, elevationes, Deiquè attractiones: una in creaturis cernitur; altera in ipſomet Creatore perſpicitur: uni res corporeæ, vel earundem imagines umbram obducunt; alteri nihil officit, quo minus propalam in Spiritu, & veritate dilucidisſimè perſpiciatur: una ſecum involvit res accidentarias; altera eſt pene tota eſſentialis: una ſimul & medullâ conſtat, & cortice, externo videlicet pariter & interno; altera autem ſolùm interno

Benedictus à Canfeld. 2. p. c. 6. Porrò hujus Divinæ voluntatis in contemplativa vita manifeſtatio, aliquot gradibus à laudato *Authore* fuſiùs deſcribitur, quos ejusmodi illuſtrat ſimilitudine dicens: Patet voluntatem hanc interiorem, non ſimul totam ſed paulatim, ac per gradus advenire: ſine qua anima non abſimilis eſt mundo nocturnis tenebris undiquè referto, atquè adoperto: voluntas verò illa diurno ſoli par, quo exoriente diffugiunt tenebræ, ac mundus effulgeſcit. Verùm uti dies non totus ſimul, ſed pedetentim illuceſcit, ſic & hæc voluntas ſeſe per intervalla exhibet.

I. Gradus. Quemadmodum enim ſub crepuſculum matutinum ſeſe dies nonnihil exerit, ita quoqve hæc voluntas in principio puræ intentionis. Poſtmodum ſubintrat aurora, quæ evidenter

denter diem illuxisse demonstrat; cui manifestationis gradus potest æquiparari, quæ pari modo voluntatem Divinam animæ effulsisse ostendit. Tum sol oriri incipit, ac majorem lucis copiam mundo impertitur, nobisquè admirationis gradum ob oculos ponit: in quo penitùs anima in hanc voluntatem ingreditur, magisquè illustratur. Deinde Sol nocturnas omnes tenebras in fugam dat; quod humiliationis gradum designat, in quo per summam illam sui exinanitionem, atquè annihilationem essentialiter magis quis hanc DEI voluntatem discernit, quæ ipsi perfectè unita, universas animæ tenebras dissipat, atquè abigit. Non ita multò post Sol tantum præ se fert fulgoris ac splendoris, ut corruscantibus suis radiis creaturas tam ratione præditas, quàm privatas exhilaret; hocquè gradui exultationis quadrat, ubi hæc voluntas adeo se spectabilem atque admirabilem præbet, ut in homine non minùs partem rationis participem, quàm expertem oblectet. Novissimè omnium Sol adeò in sublime gyrat, cælumquè adeò sudum redditur ac serenum, ut mundus velut ex abysso nocturnarum tenebrarum erutus, extollatur, ad celsissimum culmen rutilantissimi luminis, & claritatis meridianæ; quod Elevationis gradum indicat, hac voluntate demum tantum splendidæ lucis, ac lucidi splendoris advehente ut anima è gurgite tenebrarum extrahatur ad perfectam contemplationem DEI veri Solis, quo indutam uti mulierem illam in Apocalypsi, & *amictam lumine sicut vestimento* Angeli suspiciunt ac demirantur ingeminantes: *Quæ est ista quæ progreditur, sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*

2. Gradus. *3. Gradus.* *4. Gradus.* *5. Gradus.* *6. Gradus.* *Apoc. 21.* *Cant. 6.*

Nota etiam, etsi dicamus sentiendam esse in se, ac degustandam voluntatem, beneplacitumquè Divinum, non oportere tamen ei sensui immorari, quantumvis propriæ voluntatis abnegationi, ac voluntati DEI innixo: licet enim præclarum admodum sit, in sui abrenunciatione & voluntate Divina oblectari, haudquaquam tamen in ejusmodi oblectamento quiescendum est, at in ipsamet DEI voluntate.

Benedictus Canfeld. p. 2. cap. 7.

Ubi observandum occurrit in actu illo abnegationis duo reperiri, renunciationem, ac delectationem: quarum priori insisten-

insistendum est, non autem posteriori. Pari modo & in actu resignationis voluntati Divinæ habentur duo, ipsamet resignatio, & quæ ex ipsa profluit voluptas; quarum illi est inhærendum; isti non acquiescendum.

Atque hoc punctum minùs observatum, & fallacia hæc non detecta effecit, ut complures mihi noti plurimùm fuerint hallucinati, idque eo magis quo hic error erat subtilior, ac specioso abnegationis vel resignationis prætextu obvelatus.

Postremò nemo sibi persuadeat posse ad hanc secundam partem deveniri, absquè prævia, diligenti debitaquè primæ partis exercitatione per veras, diutinasquè mortificationes. *Hæc Canfeldius.*

Punctum III.

Benedictus à Canfeld. p. 3. cap. 1.

Voluntas DEI Essentialis, est omnimodè spiritus & vita abstracta penitus, ac ex se pura, omnibusquè omnium rerum creatarum formis exuta & denudata, seu corporales eæ sint, sive spirituales, tempori subiectæ, seu æternæ; neque sensu ullo judiciovè, aut humana ratione apprehenditur: sed captum omnem, conceptumquè hominum transcendit. Siquidem nihil est ab ipsomet DEO distinctum, & nec est quid à DEO separatum, nec aliquid cum eo conjunctum aut unitum, sed ipsemet præcisè DEUS, atque ipsissima ejus essentia. Etenim hæc voluntas cùm in DEO sit, sequitur eam DEUM esse, quia in DEO nihil est, quod non sit DEUS.

Differentia inter voluntatem interiorem & essentialem.

Porrò inter voluntatem interiorem & essentialem hæc intervenit discrepantia, quòd una præcedat, altera subsequatur: una medium est, altera finis: una interior, altera intima; una unitiva, altera transformativa: una penè essentialis, altera penitus; una quasdam habet imagines, licèt admodum subtiles, altera prorsus nuda est, & omnium expers formarum: in una adhuc aliquid operatur anima, etsi perquam secretè; in altera est omnino otiosa: in una est activa quodammodo vel agens, in altera passiva seu patiens, utpote quæ in actionem, intimamvè DEI operationem in se recipit: Denique uti interior voluntas è prima, quæ exterior est, nascitur, ita essentialis ex secunda, quæ interior est, consurgit. *Hucusque Canfeldius.*

Porro

Porrò adverte ejusmodi distinctionem voluntatis Divinæ à citato Authore factam, esse secundùm triplicem gradum Contemplationis Divinæ à nobis suprà sub Contemplatione descriptum: ubi in primo gradu sub formis corporalibus, in secundo sub formis spiritualibus, in tertio sinè ullis formis Deus ejusquè superbenedicta voluntas perspicitur, & cognoscitur, maximè in tertio gradu sensu quodam spirituali, & experimentali. De quo, & multa alia ad Contemplationem servientia vide fusissimè apud eundem Authorem.

De Praxi eadem Nota, quæ sub Praxi §. 2. *&* §. 7. *& hic congruo modo adhibe.*

§. 5tus.

Dico. *Objectum actuum vitæ spiritualis, ut conforme Legi aut præcepto humano, quatenus dependenti, revelatâ & creditâ dependentiâ, à Lege & voluntate Divina, atque ut tale intentum & volitum, est causa formalis actuum bonorum, supernaturalium, & meritoriorum.*

Probatur de bonitate, & supernaturalitate Objecti. *De bonitate quidem*: Quia conformari objectum legi humanæ, ut dependenti à Lege, & voluntate Divina, est conformari Legi & voluntati Divinæ, relucenti in Lege & voluntate humana, tanquam in suo medio. Legislatores enim seu superiores Ecclesiastici ex intentione finis supernaturalis sunt mediatores inter DEUM & hominem, functi legatione pro Christo, Divinam denunciantes voluntatem, ejusquè interpretes. Atqui conformari objectum Legi & voluntati Divinæ, tale objectum est bonum, ut suprà est probatum. §. 3. & 4. Ergo conformari objectum Legi & voluntati humanæ dependenti à Divina, est tale objectum bonum. Illa namque Lex & voluntas humana, est moraliter Divina. Dicit quippe Christus Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. Sicut Legatus gerit moraliter personam, vocem, judicium, & voluntatem sui Principalis. Quod etiam dicendum de *Lege & præcepto Civili*, (etsi ordinetur in finem naturalem) ut dependente à Lege & voluntate DEI Authoris naturæ. *Quia* ita quoque objectum conformatum Legi humanæ, conformatur etiam Divinæ, adeoquè est bonum.

Quantùm verò ad supernaturalitatem objecti præfati, inde cognoscitur: *Quia* Revelatio, & fides Divina, cadens suprà dependentiam objecti & legis humanæ à Divina, propter essentialem connexionem necessariò cadit suprà illud objectum & legem humanam, ut dependentem à Divina, atque quà talem id est dependentem repræsentat fides intellectui, ut revelatam à DEO, adeoquè supernaturalem. Hinc universaliter de legi-
Luc. 10. bus, & præceptis maximè Ecclesiæ revelatum creditur: *Qui vos audit, me audit.* Et illud: *Non est potestas* (adeoquè & Civilis) *nisi*
Rom. 13. *à DEO: quæ autem sunt à DEO ordinata sunt. Itaquè qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit* adeoq; potestati resistit DEI. Reliqua probanda suppleantur ex probatione suprà data in genere & § 2do.

Quod concernit Praxim, ea facienda juxta dicta sub Praxi §. 2. & § 7.

§. 6tus.

Dico. *Objectum actuum vitæ spiritualis revelatum & creditum, quòd sit conforme Primo exemplari DEO; atque ut tale intentum, est causa formalis actuum bonorum, supernaturalium, meritoriorum.* Probatur de bonitate, & supernaturalitate hujusmodi objecti. *Quo ad bo-*
1. 2. *q.* 61. *a.* 5. *nitatem* Quia ut D. Thomas ex August. dicit: *Oportet, quòd anima aliquid sequatur ad hoc, ut ei possit virtus innasci, & hoc DEUS est; quem si sequimur, benè vivimus. Patet igitur quòd exemplar humanæ virtutis in DEO præexistat, sicut etiam in eo præexistunt omnium rerum rationes. Unde quædam virtutes vocantur Purgatoriæ, nempè hominum assequentium Divinam similitudinem.* Ratio verò est, quia eo melior, & perfectior imago est, quo fuerit conformior in similitudine suo Prototypo. Ergo & animus ad imaginem DEI creatus tantò majorem sortietur nobilitatem, quo in donis gratuitis ampliorem DEI retulerit similitudinem.

Quod concernit supernaturalitatem præfati objecti: ejus ratio patet ex suprà dictis; & fundatur in revelatione Divina, quâ Christus nos docuit, debere nos habere pro Exemplari perfe-
Matt. 5. ctionis nostræ, perfectionem DEI, dum dicit: *Estote ergo & vos perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Reliqua vide suprà in genere & § 2.

De

De Praxi vide suprà specificata sub Praxi § 2. & § 7. & hic convenienter applica.

§ 7timus.

Dico. *Objectum actuum vitæ Christianæ revelatum & creditum, quod sit conforme Exemplari Divino-Humano seu Christo, potissimùm crucifixo, illudquè ut tale intentum, est causa formalis actuum bonorum, supernaturalium, meritoriorum.*

Explicatur *Imò*, quomodo se habeat id exemplar Vitæ Christi in ordine ad actus vitæ Christianæ. *D. Bonaventura* advertit in Christo duplicem rationem exemplaritatis, æternæ videlicet & temporalis. Æternæ, secundùm quod in ipso quatenus in Verbo Patris & speculo sinè macula exemplariter cuncta creata relucent, quæ à principio conditionis mundi usque in finem ad perfectionem Universi totius tam spiritualiter, quàm sensibiliter producuntur. In quantum autem Verbum incarnatum in assumptæ humanitatis conversatione, exemplum & speculum est omnium gratiarum & virtutum & meritorum militanti Ecclesiæ. Et quemadmodum ab illo uno æterno exemplari indiviso tam diversæ manant creaturarum naturæ, & naturarum perfectiones secundùm variam ipsius summi Boni participationem, quod perfectè ab una aliqua creatura capi non poterat, propter quod & diversas constituit DEUS rerum species ad Universi completionem: sic & à Verbo illo incarnato, tanquam ab originali principio gratiæ, de cujus plenitudine accepimus omnes, & tanquam à speculo in quo & à quo omnis sanctitatis & sapientiæ plenitudo, & pulchritudo refulget, diversi status, & gradus, & ordines secundùm variam distributionem donorum, & varium imitandi modum exemplariter derivantur: in quibus secundùm multiformem participationem multimoda Christi perfectio sic distribuitur, ut simul reperiatur in omnibus, nec tamen in aliquo uno solo secundùm omnimodæ plenitudinis totalitatem refulgeat, sed quilibet gradus & status pro suæ mensuræ modulo secundùm plus & minus istiusmodi exemplaris influentiam suscipit, & ad ipsius imitationem accedit. Refulgent autem á Christo, tanquam à totius nostræ salutis exem-

In Apologia Pauperum Resp. 1. cap. 2.

tis exemplari & originali principio actus multiformes. Nam quidam actus in ipso respiciunt *sublimitatem Potentiæ*, ut super aquas siccis pedibus ambulare, elementa convertere, seipsum transfigurare, & certa miracula facere. Quidam *Sapientiæ lucem*, ut arcana cælestia referre, secreta cordium scrutari, & futura prædicere. Quidam *severitatem judicii*, sicut vendentes ejicere de templo, cathedras vendentium columbas evertere, & dura increpatione ferire Pontifices. Quidam *officii dignitatem*, ut Sacramentum conficere sacratissimi corporis sui, manus imponere, & relaxare peccata. Quidam *condescensionem miseriæ*, ut latere in persecutione, trepidare & contristari in morte, & pro amotione calicis Patrem rogare. Quidam *informationem vitæ perfectæ*, ut paupertatem servare, virginitatem costodire, DEO & hominibus seipsum subjicere, noctes in oratione pervigiles ducere, pro crucifixoribus exorare &c. Cum igitur sex sint hujusmodi actuum varietates, in his ultimis duntaxat ipsum imitari est perfectum. Nam in his quæ sunt excellentiæ singularis, est impium & Luciferianum, nisi fuerit alicui, privilegii singularis dono concessum. In his autem quæ sunt severitatis & dignitatis, est præsidentium & prælatorum. In his quæ condescensionis, est infirmorum, in quantum loquimur ad actum extrinsecum. Nequaquam igitur summa Christianæ perfectionis consistit in universali imitatione actuum Christi, sed tantùm illorum, qui vitæ perfectæ imitationem respiciunt. *Hactenus Doctor Seraphicus.*

Probatur jam 1ma pars asserti de bonitate eaquè supernaturali obiecti vitæ spiritalis per conformitatem ad exemplar vitæ Christi: quia quod est primum & maximum in unoquoque genere, est mensura & exemplar cæterorum, Illiquè exemplari quo fuerit exemplatum conformius, eo erit melius & perfectius, quia majorem sui exemplaris exprimet perfectionem & similitudinem. Atqui Christus in ordine supernaturalium est primus & maximus omnium prædestinatorum. Ergo est mensura & exemplar omnium prædestinatorum. Exemplar inquam & imago tam actuum meritoriorum gloriæ, quàm ipsius gloriæ, ut explicant interpretes per illa verba Apostoli:

Vide in summa Theolog. S. Bonavent. per Petrum Frigosium p. 1. q. 18. a. 10. dub. 2.

Quos

Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis Fratribus. Adeoque accessus propinquior ad imitationem imaginis Vitæ Christi erit melior, & perfectior, isquè supernaturalis: si innitatur revelationi Christi dicentis: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* in præsenti per gratiam, in futuro per gloriam. Atqui *Lumen vitæ* est supernaturale. Ergo & medium ad illud, id est *sequela Christi*, erit supernaturalis. *Et S. Hieronymus* dicit, quòd contemnere divitias commune sit etiam infidelibus, sed sequi Christum est proprium Apostolorum, atque credentium)) Cætera in assertione posita declaranda & deducenda sunt ex suprà dictis.

Ad Rom. 8.

Joan. 8.

S. Hieronymus lib. 3. in Matt. c. 19.

His suppositis, placuit hìc adnectere magis particularia imitationis Christi, quæ ad tria principia reducuntur, ut scilcet imitemur Christum maximè passum & crucifixum 1. Perferendo exteriùs in corpore crucem seu varias pœnalitates. 2. Sustinendo interiùs angustias animi. 3. Amando & gaudendo in Spiritu. Sicut & Christus hæc expertus est. In quo puncto porrigo quendam *Authorem Anonymum*, ut ex scriptis ejus patet, non inexpertum Mysticæ Theologiæ. Qui ita disserit inquiens: Quisquis autem, ut ea quæ iam dicta sunt, (mystica & Divina) & quæ postmodum dicentur, in se ipsq felicitet experiri, & ad ea pertingere voluerit (quod certè nulli denegatur facienti quod in se est, & voluntatem ac diligentiam suam adhibenti) seipsum expedire, ac nudare debet ab omni illo quod DEUS non est, & convertere se totis viribus & omni conatu ad exercitium Dominicæ Passionis, eamquè adeò vigorosè attrahere ad sentiendum eam ab intra, donec omnes sensuum evagationes inibi colligantur, stabilianturquè, ita ut ubicunque sive stet, sive ambulet, iugiter ob oculos suos quasi speculum, & in sentimento cordis sui tanquam fundamentum quoddam fixam ac stabilitam habeat amorosam vitam ac passionem Domini IESU Christi, cui perpetuò inhærere velit ad construendum desuper virtutes vniversas. Nemo enim tam sublimiter proficit, quin ad eam recursum habere debeat: nec quisquam ita debet extra verti & occupari, quin isti adhæreat fundamento, si modò velit grata esse DEO & accepta opera sua. Imò si quis est adeò

Ex Margarita Evangelica seu incomparabili Thesauro Divinæ Sapientiæ Lib. I. c. 36.

deò exercitatus, quòd per lumen gratiæ raperetur extra suum ipsius naturale Lumen, & seipsum quasi in Lumine gratiæ perdidisset, atque in divitias D E I absorptus esset, quando nihilominus, sibi ipsi restituitur, istud fundamentum primum ac præcipuum est obiectum ipsius, atque sentimentum quod in seipso recipit, & cui iugiter inhæret.

Isto igitur fundamento taliter in corde iacto ac stabilito, adhuc magis internum exercitium requiritur pœnarum, videlicet ac dolorum, quos in sanctissima anima sua Christus sustinuit. Quod tantò melius est, atque utilius quantò aurum cupro præstantius est. Non enim sufficerent vel mille corda dolores, quos in anima sua Christus sustinuit, plenè cogitare. Istos verò dolores adeò vigorosè interiùs exercere debemus, donec eos in anima nostra sentiamus, & in eis stabilamur. Sed & tunc adhuc magis introverti debemus ad contemplandum amorem & gaudium Spiritûs, in quibus erat mens Christi, & extra quæ nec ad momentum recedebat: quod exercitium tantò est suprà dictis nobilius ac præstantius, quantò Cælum melius est terrâ, Amor etenim ille & gaudium illud tam ingens erat ob felicem contemplationem gloriæ Paternarum divitiarum, ad quam perducturus erat animas nostras. Amor (inquam) eius ad nos tantus erat, quòd usque ad extremum judicii diem in illo mœrore ac pœnalitate corporis sui permansisset suspensus potiùs, quàm permisisset unam saltem animam ab illis gaudiis ac æterna felicitate quantum in ipso fuit, separari ac perire. Porrò amorem istum & gaudium istud continuè in spiritu nostro exercere debemus, donec ea in spiritu & mente nostra sentiamus, & anima langueat præ doloroso mœrore, & corpus crucifigatur, ac moriatur omni sensualitati, & spiritus hoc modo capiatur, atque in DEO ligetur ad perenniter cum ipso permanendum.

Tunc demum ultimo Fini suo appropinquat homo, in quo vera perfectio consistit, ubi de æterna veritate assecuratur, ubi DEUS seipsum largitur in viribus animæ, easquè facit DEI formes. Et sic homo in Christum IESUM transformatur, eique via DEI clarè ob oculos proponitur, & docetur qualiter

liter debeat interiùs & exteriùs converſari, & ſpiritum ſuum dirigere in intimum illud gaudium, & animam in triſtitiam, & corpus in patientiam, & ſenſus ſubtus ſpineam coronam, & manus affixas virtuoſis Chriſti operibus, & pedes ejus ſacris veſtigiis, & cor amoris iaculo transfixum habere, quatenus omnis vita ſua, omnis amor ſuus, omnia deſideria, cogitationes, verba, & opera DEUS ſit; inſtruiturquè inibi qualiter totum ſit DEI, quicquid habet, quicquid amat, quicquid intelligit, ut ſic ei vicisſim applicetur in perpetuo amore, & per fidem, ſpem, atque charitatem modo ſæpè dicto in ipſo habitet, & ipſe in illo. Quisquis enim in DEO taliter ſe exercet, eiusquè facit voluntatem, hunc ipſe orantem libenter exaudit. Ille autem facit voluntatem ejus, qui ſic Chriſtum IESUM induit & imitatur, qui in exteriori homine ſuo, vulneratum Chriſti corpus induit, & tanquam fundamentum quoddam animæ ſuæ crucifixam imaginem impresſit, adeò ut ubicunque ſtet, ſive eat, hanc iugiter in omni loco ſecum habeat, in ea ſeſe exercens, & ſecundùm eam dirigens tam interiorem, quàm exteriorem hominem ſuum. Inde nimirum humilis efficitur homo in converſatione ſua, cùm Dominum DEUM ſuum ita humiliter & verecundè cum multa morum honeſtate ſe viderit præeuntem. Juſtus quoque efficietur, cùm in omnibus actibus ſuis IESUM ſibi aſſociaverit, & diligenter intuitus fuerit, qualiter ipſe cuncta opera ſua ad ſupremam gloriam Patris ſui peregit, & quomodo ſemper in mente ſublevatus extitit fervens & plenus amore ardentisſimo in ſpiritu, ſubjectus & obediens in anima, & in corpore patientisſimus. Verax quoque in verbis ſuis efficietur, ſi attentè conſideraverit, quàm verâ & Divinâ ſapientiâ plena erant omnia Chriſti verba. Patiens inſuper erit in omni adverſitate, paupertate, & deſpectione, ſi Chriſti pœnalitatem, paupertatem, deſpectionem attenderit. Denique & ſobrietatis granum aſſequetur, attendens quòd ille qui cibus eſt Angelorum, ſæpiùs etiam naturæ neceſſaria non habuit, & in morte ſua felle & aceto potatus fuit. Et hoc modo ſemper in cordibus noſtris ſacrum illud ſpeculum ſine macula portare debemus, & hoc adeò vigoroſè intrahere in omnia membra ac ſen-

ſus no-

ſus noſtros, ut neque oculi neque cor noſtrum, quamvis alias imagines recipiant, per quas occupari, aut medium aliquod recipere, cor noſtrum poſſet. Et ſic nihil nos attingere poterit, niſi prius per hanc Crucifixi imaginem Chriſti ad nos perveniat, qui omnia membra noſtra ac ſenſus noſtros per ſeſe introduxit, per reparationem videlicet ſalutis noſtræ, quiquè paratisſimus eſt ad portandum unà nobiſcum quicquid ejus cauſâ nobis acciderit, ſi nos ejus pasſionem intra nos portare ſtuduerimus. Hoc igitur modo in corde noſtro & in exteriori homine noſtro imaginem Chriſti circumferre debemus Porro in interiori homine, id eſt, in anima noſtra geſtare debemus illum incomprehenſibilem amorem, quo anima Chriſti repleta erat, & per quem tot tamquè innumera bona operatus eſt. Porrò in omnium intimisſimo homine noſtro id eſt in ſuprema ac ſupereſſentiali portione ſpiritûs portare debemus illam ac abyſſalem Divinitatem & Divinæ eſſentiæ unitatem, in qua omnes theſauri Divinitatis ſunt incluſi. Et tunc interior homo noſter amore repletur, & in omni virtute exercitatur, atque exterior homo cum vitiis, & concupiſcentiis crucifigitur, & ad omnes pœnalitates extenditur, & ſentire per pasſionem incipit pasſionem Domini noſtri, & quicquid fuit in Chriſto IESU.

Quando igitur ſic diſpoſitus eſt homo, tunc in recto itinere & in recta via id eſt Chriſto IESU eſt conſtitutus, qui eſt via ſalutis noſtræ, in qua quisquis ambulat, falli non poterit, dummodo ſolicitus ſit nullo extra hanc viam membro deviare. Poſtquam verò anima ſic attracta, & per Iugem Dominicæ Pasſionis meditationem atque memoriam in unionem Charitatis Chriſti introducta, & in quadam ſupereſſentiali libertate incluſa fuerit, (quemadmodum tres illæ in beata Trinitate Perſonæ, unitæ, & in Divina eſſentia ſunt incluſæ) tunc ſpiritus introrſus rapitur, & in Divina eſſentia per abſtractionem unitur. Ibi tunc Divina Claritas ſpiritum transradiat, & mentem ipſam Divino quodam diademate illuſtrat, atque radios ſuos deorſum in inferiorem animæ partem dirigit, per quod animæ ratio ſimplificatur, illuminaturquè, & qualiter in via DEI interiùs, exteriùsquè incedere debeat, edocet, & intelligit.

Vis

Vis concupiſcibilis purificatur & trahitur, & iraſcibilis gratiâ humilitatis, & ſubjectionis perfunditur, & ad virtutum exercitia roboratur. Conſcientia quoque arguitur, admonetur, & purificatur, & cor accenditur, & in DEUM ſublevatur. Ipſum deniquè corpus ad obediendum ſpiritui promptum, atque paratum efficitur, ad currendam inſtar gigantis viam DEI, eo videlicet modo quo nos Chriſtus Dominus præceſſit. Sic, ſic nimirum homo abſtractus in DEUM transformatur. O quando enim tria hæc taliter in uno deſiderio, in uno amore, & in eadem intentione ſunt congregata, tunc liber patet acceſſus ſpiritui ad quieſcendum in eſſentia Divina, & ad commorandum in tabernaculo Humanitatis ſuæ. Taliter ergo per meditationem dominicæ Paſſionis ingredi debemus, quatenus de cætero nunquam exeamus. Sed iſtud modernis temporibus perrarum eſt, & inſuetum. Attamen Dominus ait: Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. Quia tamen tam pauci ingrediuntur, idcirco in via DEI tam multi deficiunt, ſed iſtis in hora mortis ipſorum difficilis nimiùm ac deſerta quædam via pandetur. Quod autem tam multi iſtis temporibus in errores varios, & in ipſum quoque infidelitatis vitium labantur, inde potisſimùm fit, quia fundamentum ſuum interius & exterius in Chriſto JESU non poſuerunt. Et quidem multi ſunt, qui dominicam Paſſionem ab extra intuentur atque recogitant, ſed ab intra fundus ipſorum imaginibus atque creaturis vanis eſt depictus, atque obſeſſus. Et ideo pauci ſunt, qui eam veraciter induunt, & in ea commorantur, eamquè tardo paſſu ſequuntur. *Hæc Anonymus.*

Praxis generalisſima, omnium praxium maxima, optima, utiliſſima.

IN *Praxi* præter ſuprà notata ſub praxi § 2. hæc accipe. Et in via incipientium, & in via proficientium, & in via perfectorum DEUS-Homo Crucifixus indeſinenter diu noctuquè ob oculos tuos verſetur: ipſe ſit Objectum veræ ſapientiæ, perfectionis, ſanctitatis: ibi cuncta reperies in altisſimo gradu virtutis. Et

quidem in *via incipientium* conſidera in Chriſto Crucifixo rigorem Divinæ Juſtitiæ, adeò Patris æterni in unigenito Filio ſuo peccata noſtra acerbè punientis; & excita in te Timorem DEI: quia ſi hæc in viridi, quid in arido fiet, quantum exæſtuabit in te ignis ille æternus, niſi citiùs ad meliora te receperis? Virtutes fundamentales ubi magis relucent, quàm in JESU Crucifixo? Ibi Reſignatio ſui in voluntatem Patris cæleſtis, & Obedientia uſque ad mortem amariſſimam & probroſiſſimam Crucis: ibi Contemptus mundi, & extrema Paupertas in nudo JESU: ibi duriſſima Pœnitentia dolentis, lachrymantis, orantis, ſatisfacientis JESU pro peccatis noſtris: Ibi extrema Mortificatio, nullum ſolatium, niſi fel, & alias amaritudines acerbitatesquè recipientis JESU. *In via proficientium* habes motivum ſpei ex Cru-
Hebr. 12. cifixo, qui *propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ*: quantum illud gaudium, ad quod Filius DEI ſeipſum & ſuos electos venire voluit per arduum Crucis medium? Inde diſce Juſtitiam, quâ Crucifixus reddidit, cuiquè quod ſuum erat, Patri cæleſti cultum Religionis, ipſum orando, ejus honorem à peccatoribus contemptum reſtituendo per ſui humiliationem usque ad ignominiam Crucis: Matri ſuæ benedictæ obſervantiam, gratitudinem, pietatem, ipſam ſuo dilecto Diſcipulo Joanni in providentiam commendando: Diſcipulis imò omnibus Electis pietatem, eos in filios per Joannem Matri ſuæ tradendo: Liberalitatem omnibus nobis usque ad proprii cordis, & ſangvinis effuſionem exhibendo. Quanta fortitudo, magnanimitas, patientia, perſeverantia ad ultimum halitum, humilitas, aliæquè virtutes in Crucifixo relucent! eas in te exprime. *In via perfectorum* exiſtens, ſi ubi tum in Crucifixo DEO-Homine perfectiones Divinæ Sapientiæ, Bonitatis, Juſtitiæ &c. effulgentes contemplari potes. Deinde quid in te magis accendere flammas amoris in DEUM & proximum valet, quàm Agnus ille cæleſtis in Cruce amore tui afflatus, quàm ignis ille amoris per oſtium lateris ie corde ipſo per aliasquè fiſſuras vulnerum ebulliens? Vides cuncta te poſſe in Crucifixo reperire.

Deinde, quod concernit objectorum motivorum hac
2. 2. p. propoſitorum, eadem coordinata Crucifixus ad exerci-
tium

tium tibi præsentabit. Certum enim est Christum perfectissimo modo omnes virtutes immediatè enumeratas, & alias, in Cruce peregisse ex omnibus composssibilibus motivis virtutum; motiva enim multiplicem bonitatem & perfectionem refundunt in actum. Hinc v. g. Crucifixus exercendo actum Patientiæ; exercuit illum ex his motivis, quia scilicet est honestus seu conformis lumini rationis, conformis legi Divinæ, conformis voluntati æterni Patris, conformis statui gratiæ & gloriæ &c. Ergo & tu respiciens Crucifixum, fac similiter.

Ad hanc Praxim jugis memoriæ Crucifixi, eiquè conformandi, & in eum transformandi vitam tuam, præstè sunt sequentia *incitamenta.*

I. *Seraphicus Doctor inquit*: Si vis, ô homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere; quotidie quantâ potes devotione, mediteris Dominicam Passionem; nihil enim in anima ita operatur universalem Sanctificationem, sicut meditatio Passionis Christi. *Bernardus de Busto*: Magis meretur vel unam solùm lachrymam emittens ob memoriam Passionis Christi, quàm si usque ad terram promissionis peregrinaretur. *S. Albertus*: Simplex recordatio vel meditatio Passionis Christi, plus valet, quàm si quis per annum jejunaret in pane & aqua, quâlibet sextâ feriâ, vel se usque ad sangvinem cæderet, vel quotidie psalterium legeret. Cujus rationem reddit *Ludovicus de Ponte* his verbis: Quia prædicta opera, etsi bona valdè & utilia, non habent tantam vim ad purificandum Ccor à suis vitiis, illudquè veritatibus illustrandum, & inflammatis amoris Divini affectibus perficiendum, atque attenta & profunda Passionis Christi meditatio; quæ omnia hæc efficit, additquè etiam spiritum & vitam pœnitentiis ipsis, & operibus externis, permovendo efficaciter ad ferventem eorundem exercitationem. *Thomas Kempensis*: Qui se intentè & devotè in Passione Domini exercet, omnia utilia & necessaria sibi abundanter ibi inveniet: nec opus est, ut extra JESUM aliquid melius quærat. O si JESUS Crucifixus in cor nostrum veniret, quàm citò & sufficienter docti essemus? *B. Magdalena de Pazzis* divinitus edocta est, quòd quoties creatura offert sangvinem

S. Bonaventura de Pass.

Bernard. de Busto S. 15 infer.

B. Albertus Magnus tr. de sacrif. Miss.

Lud. de Pont. 4. p. introd. ad med.

L. 1. c. 25. § 6.

Ibidem.

Lanciz. opusc. 11. n. 56.

Christi, quo redempta est, æterno Patri, tale donum offerat, ut ille quasi non habeat pretium, quo solvat. Hoc donum esse tam magnum, ajebat, ut Pater æternus se reputet obligatum creaturæ suæ. Christus *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis dixit* : Dico tibi, si quâlibet feriâ sextâ attendas horæ, quâ expiravi in Cruce, continuo recipies particulares gratias à Spiritu, quem reddidi Patri æterno; & quamvis illas non senties, nihilominus semper requiescent in te. *B. Joannæ* ab Angelis revelatum est, Divinam Majestatem cum tanto affectu amoris accipere planctum ob passionem Christi, & illum adeò gratum esse sacrificium, acsi spargeretur sangvis, & afflictiones magnæ pro eo tolerarentur.)) Cur autem DEUS tantopere desideret nos assimilari Christo Crucifixo, *Ratio est* : Quia, cùm furum & raptorum propria pœna sit nunc patibulum, ut crux olim ; jam verò nos cum Protoplastis nostris siquidem fuerimus socii furum (dæmonum scilicet complicum Luciperianæ ambitionis, volentis furari seu rapere altitudinem DEI, eique assimilari) cupientes esse sicut Dii, scientes bonum, & malum, ad similitudinem ipsius DEI : Meritò Justitia Divina tanquam fures & raptores decrevit nos agi in patibulum Crucis (quanquam multo graviori pœnâ & ignominiâ fuerimus æternum digni, nisi Filius DEI suâ furcâ nos pro infinita bonitate liberasset) Tum ut aliquantum ex parte nostra quoque satisfaciamus pro peccatis nostris actualibus, occasionem trahentibus ex originali (pro quo Christus plenè satisfecit quoad culpam & pœnam, impeditivam visionis beatificæ, ut in parvulis baptizatis morientibus patet) Tum ut in vicem gratitudinis & amoris Christi immensi aliquid toleremus: Tum ut Christo assimilemur in patientia, humilitate, aliisquè virtutibus, exequentes gratissimum beneplacitum DEI, ad majorem ejus gloriam, & illustriorem nostram in Cælis coronam.

Vitæ p. 3. §. 1.

Vita c. 15.

II. *Exempla.* Christus totâ suâ vitâ passus & internè crucifixus fuit: *vide suprà sub Patientia.* Beatissima Virgo jugiter occupabatur in contemplatione Passionis Filii sui: vide suprà sub Patientia, vel Martyri.

1. Cor. 2. v. 2. Alia Exempla ex *P. Lohner Bibli. man. Passio.* I. S. Paulus tam assiduus erat in meditanda, & prædicanda Christi Passione,

ne, ut dicere auderet, se nihil scire, nisi IESUM Christum, & hunc crucifixum. 2. Cùm S. Maria Magdalena, postquam se in Eremum contulerat, supplex à DEO petiisset, ut, qua in re potissimum se occuparet, ostendere dignaretur, S. Michael Archangelus ei Crucem pulcherrimam in aditu speluncæ sic constituit, ut in oculos Magdalenæ semper incurreret, neque illam unquam mysteriorum patratorum oblivisci pateretur. 3. Quidam Eremita certior fieri cupiens, quibus maximè obsequiis Divinum Numen demereri posset? semel Christum nudum, plagis lividum, & cruce onustum conspicuum habuit, qui ei dixit, rem sibi gratissimam fore, si eius cultores in Cruce ferenda eum adjuvarent: hoc autem facturos, si recordatione suorum cruciatuum eum prosecuti, partem eorum, in sui cordis sensum derivarint. 4. B. Clara de Monte Falco in IESU crucifixo sive vigilans, sive dormiens, hærebat. Cùm semel in hoc exercitio graviter confixa fuisset, apparuit ei Iuvenis humeris Crucem ferens, & dicens: Filia mea Clara, quæsivi locum solidum, in quo hanc Crucem plantarem, & inveni cor tuum: ibi eam figere volo: oportet ergo, ut moriaris in hac Cruce, si filia mea, & hæres vis esse. Exinde adeò impressum cordi habuit Passionis Mysterium, ut quidquid comederet, ei amarum foret in memoria Passionis, & quidquid videret, intelligeret, & diceret, felle Crucis Christi respersum crederetur. Unde post mortem omnia instrumenta Passionis cum ipso Crucifixo, cordi impressa cernebantur. 5. Dum S. Joannes Evangelista adhuc in terris existens arderet videre DEIparam gloriosam, illa ipsi apparens bene longum cum eo de cruciatibus Christi sermonem texuit, & inter alia dixit, Filium suum ei, qui iugiter Passionem ejum recoleret, tres prærogativas concessurum I. Ut ante mortem ferventis Contritionis actum exercere possit. II. Ut DEIpara in agone ipsum specialiter defendat. III. Ut per ipsam quidvis impetrare possit. 6. S. Gertrudis Divinitus discebat, quoties quis Christi Crucifixi Imaginem animo piè commoto aspexerit, toties Divinæ pietatis oculum ei adverti. 7. S. Edmundo adhuc puerulo Christus apparens suasit, ut quotidie aliquod mysterium vitæ aut passionis suæ meditaretur;

Sylvest. in ros. aur. 1. 4.

Ludolphus in sax. in vita Christi.

Surius in vita

Engelg. in Dom. Quinqu. §. 3.

Blos. cap. 2. monil.

Vincent. in spec. hist. Surius in vit.

taretur; id enim ei contra quasvis tentationes, ad comparandas etiam, conservandasquè virtutes, & tandem ad mortem feliciter obeundam, singulare præsidium fore. 8. B. Bonaventura rogatus à S. Thoma Aquinate ut Bibliothecam ostenderet, exqua tam sublimem scientiam hausisset, Crucifixi imaginem osculis & lachrymis detritam ostendit. 9, S. Franciscus petens à DEO, quo exercitio maximè DEO placere posset, ter Missale aperuit, semperquè Passionem reperit.

March. tr. 3. lect. 18. prop. 1
Chron. Min: lib. 1. c. 105.

Igitur Christus Crucifixus sit Christianæ vitæ tuæ causa seu Objectum Materiale, Causa seu Objectum Formale, Causa Exemplarissit medium principale & efficacissimum ad obtinendum omnem finem supernaturalem. DEUS-Homo Crucifixus est Centrum veræ sapientiæ, à quo potissimùm denominatur hæc Theologia spiritualis.

§. 8tavus.

Dico. *Objectum actuum Vitæ spiritualis revelatum & creditum, ut conforme Exemplari Vitæ DEIparæ: illudquè ut tale intentum, est causa formalis actuum bonorum, supernaturalium, meritoriorum.* Probatur *de bonitate* talis objecti. Quia si ex conformitate objecti ad dictamen rationis bonitas resultat in eodem objecto, ideo, quia est expresivum, Legis æternæ, multò magis resultabit ex conformitate ad exemplar vitæ DEIparæ & Sanctorum: cùm hoc sit magis insinuativum æternæ Legis, seu dictaminis sapientiæ Divinæ, quàm cæcutiens lumen rationis: insuper idem exemplar magis est manifestativum voluntatis DEI bonæ, beneplacentis, & perfectæ: Tum maximè expresivum similitudinis, imaginis, & exemplaritatis Vitæ DEI, & Christi.

Porrò *supernaturalis bonitas* præfati objecti exinde probatur: Quia Christus moriturus in Cruce commendavit MARIÆ Ioannem in filium, Joanni MARIAM in Matrem, dicens: *Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam*: Ubi intelligitur, quatenus Joannes moralis seu adoptivus filius Mariæ, non solùm ei provideret necessaria vitæ, eamquè veneraretur, & amaret, ut Matrem suam, verùm etiam maximè

Joan. cap. 19.

maximè ejus mores maternos imitaretur: hoc enim eſt proprium filiorum, non phyſiognomiâ tantùm, ut ſolent filii, ſed & moribus matrizare. Et Paulus: *Mementote ait Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt Verbum DEI, quorum intuentes converſationis exitum, imitamini fidem.* Super quod Franciſcus Arias ita diſcurrit. *Si nos Apoſtolus invitat ad imitationem Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum. Multò æquius invitat nos ad imitandam ſacratiſſimam Virginem ipſorum nimirum Apoſtolorum Magiſtram, & perfectisſimum præfat. Apoſtolicæ vitæ exemplar.* S. Ambroſius ait: *Talis fuit MARIA, ut ejus unius vita omnium diſciplina ſit.* Idem. *Quicunque ſibi MARIÆ exoptat præmium, ejus imitetur exemplum.* Et D. Bernardus dicit: *Ipſam (MARIAM) ſequens non devias* ſcilicet à vita ſupernaturali. Eccleſia quoque canit: *Cuius vita* (id eſt Mariæ) *glorioſa cunctas illuſtrat Eccleſias*; nempe ad ſupernaturalium virtutum ſequelam.

Hebr. 13.

De imitatione B. M. Virg. in præfat.

De Virginibus lib. 2. tom. 4.

Hom. 2. ſuper Miſſus.

Ad Praxim ſpectantia vide proportionatè Notata ſub Praxi § 2. & § 7.

§ 9nus.

Dico. *Objectum actuum vitæ ſpiritualis revelatum & creditum, quòd ſit conforme Exemplari vitæ Sanctorum, illudquè ut tale intentum, eſt cauſa formalis actuum bonorum, ſupernaturalium, meritoriorum.* Ratio primæ partis de bonitate talis Objecti eadem quæ & de conformitate ad exemplar vitæ DEIparæ ſuprà ſpecificata. *De ſupernaturalitate* autem ejuſdem objecti ut revelati eadem quoque authoritas ſcripturæ hic ſervit, quæ allata eſt ſuprà ſub vita DEIparæ, ubi Paulus dicit: *Mementote Præpoſitorum veſtrorum &c.* Idem quoque Apoſtolus ad ſui imitationem hortatur: *Eſtote imitatores mei, ſicut & ego Chriſti.* Deinde *Ratio eſt*: Sancti, ex quo pro talibus publicâ Eccleſiæ authoritate recepti, vel Canonizati, fide Divinâ creduntur eſſe Sancti. Ergo & actus ſanctitatis, vel virtutum ejuſmodi Sanctorum revelantur, & creduntur eſſe veri actus virtutum ſupernaturalium: propter enim actus verè ſanctos & virtuoſos tum gratiam ſanctificantem, illos comitantem, fiunt Sancti. Ergo qui eſt conformans actus ſuos ad actus virtutum alicujus talium Sanctorum, conformabit ſupernaturaliter, quia conformabit tan-

quam ad ideam & formam; adeoque causam formalem tanquam revelatam & creditam supernaturaliter. Reliqua vide ut suprà.

In Praxi applica suprà specificata sub praxi § 2. & § 7.

§ 10mus.

Vide Suarez de Gratia l. 2. c. 16.

Dico. *Objectum actuum vitæ spiritualis, revelatum & creditum quòd sit conforme, seu respectivum ad finem vel statum supernaturalem gratiæ, idquè ut tale intentum, est causa formalis actuum bonorum, supernaturalium, meritoriorum.*

Ratio 1*mæ partis* est de bonitate imò & supernaturalitate objecti ut respicientis statum gratiæ supernaturalis. Quia sicut bonitas moralis objecti seu naturalis actus habetur per conformitatem ad naturam seu lumen naturæ rationalis, quà talis: ita bonitas supernaturalis objecti vel actus habebitur per conformitatem, & respectum ad naturam supernaturalem & lumen gratiæ. Unde dicit Christus: *Qui recipit Discipulum in nomine Discipuli, vel Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Discipuli vel Prophetæ accipiet.* Quibus insinuatur Misericordiam factam homini, qua homo est, sortiri bonitatem naturalem: factam autem homini, quà gratia supernaturali prædito, suscipere bonitatem altioris ordinis seu supernaturalis. In hunc modum monebat & Petrus Apost. *Nemo patiatur ut maledicus. Si autem, ut Christianus, glorificet DEUM in isto nomine.* Paulus quoque Apostolus idem respicere videtur numerans patientiam, mansuetudinem, aliosquè actus morales inter fructus Spiritûs: isti enim actus dum fiunt non naturaliter sed spiritualiter, accipiunt rationem altioris virtutis, fiunt autem spiritualiter, dum mensurantur per superiores fidei regulas nempe per gratiam & veram sanctitatem.

Matth. c. 10.

1. Epist. c. 4.

Confirmatur. Quia contingit non raró virtutem aliquam per lumen naturale comparatam ad statum, & vires naturæ, multùm excedere hìc & nunc medium virtutis: Comparatam tamen eandem virtutem per cognitionem supernaturalem ad statum virium gratiæ supernaturalis, non modò excedere imo & deficere à medio, vel saltem illud attingere. Quod patet in

in Christianis, qui ex vi statûs sui per gratiam formati, obligantur sanctiùs vivere, quàm infideles in sua natura relicti: Item Ecclesiastici, & Religiosi tenentur ad majorem perfectionem, quàm communis populus Christianus ob specialiorem gratiam. Ita quod multum est ad mensuram naturæ, parum est ad mensuram gratiæ, quod item multum ad exiguam gratiam, id conforme est ad multam gratiam. Patet ergo, quòd supernaturalitas actuum reguletur juxta statum gratiæ.

Quantum spectat ad bonitatem & supernaturalitatem objecti per respectum ad statum gloriæ æternæ *Ratio est* quia virtutes distingvuntur secundùm diversas politias, ad quas ordinant subjectum, ut docet Arist. 3. Polit, Cap 3. Atqui politia cælestis est supernaturalis, politia humana quà talis est *naturalis. Ergo* & actus virtutis ordinans hominem, seu respiciens ut ordinatum ad politiam cælestem, erit supernaturalis, actus verò ordinans ad politiam humanam, erit naturalis. Et ita servare æqualitatem juris cum homine, ut spectat ad Rempublicam humanam, erit actus justitiæ naturalis, nisi illum supernaturalizet fides, servare autem æqualitatem juris cum homine ut elevato ad supernaturalem beatitudinem & Rempublicam sanctorum, erit supernaturalis. *Vide Vasquez disp. 86. citatum à Lugo de fide disp. 9. sect. 1.*

Huc referuntur illi, qui supernaturalitatem virtutibus Theologicis tribuunt per respectum ad DEUM, ut est Author donorũ supernaturalium gratiæ & gloriæ. V.g. Fidem, spem, amorem esse naturalem, si credatur, speretur, ametur DEus ut Author naturalis ordinis. Si verò credatur, speretur, ametur ut Author supernaturalium bonorum, esse actus supernaturales.

Sed quidquid sit de sententia horum Scholasticorum, qui tribuunt supernaturalitatem virtutibus per respectum ad statum supernaturalis ordinis gratiæ & gloriæ, certum est, quia etsi ex hoc principio, quòd respciant dictum statum supernaturalem, virtutes possint non supernaturalizari, dum nempè ex naturali cognitione procederent; ut censet *Lugo Card:* tamen ex principio alio nempe revelationis & fidei, supernaturalitatem ordinariè accipiunt, dum exercentur ex motivo statûs gratiæ *De fide disp. 9. sect.*

& gloriæ: quia tam sublime exercitium in Christiano fit ordinariè ex cognitione fidei supernaturali.

Similiter quamvis juxta citatos Authores virtutes essent naturales, si exerceantur per conformitatem & respectum ad naturam rationalem, non ut elevatam ad statum gratiæ vel gloriæ, vel per respectum ad DEUM ut Authorem naturæ: Attamen si exercerentur ex cognitione fidei, quatenus dicta conformitas, & respectus naturalis virtutum est à DEO revelatus, tali medio, servatis servandis sortientur supernaturalitatem præfati actus virtutum: Ut ex suprà dictis patet.

Ratio secundæ partis Asserti est eadem, quæ suprà: quia scilicet objectum ejusmodi supernaturaliter bonum, similem in actum refundit bonitatem, & supernaturalitatem. Adeoque erit tale objectum causa formalis actuum supernaturalium bonorum.

Circa Praxim vide suprà dicta sub Praxi §. 2. *&* §. 7. *& hic proportionatè accommoda.*

Finis in Secunda Secundæ, Theologiæ Spiritualis.

PARS

In Prima Secundae Partis
Fol.
160.